

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Eurycius cordus, Ioanni Reuchlin S. D. P

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

omnium Eurycius Cordus, Ioanni Reuchlin S.D. P.

DABIS ueniam, optime & doctissime uir, quod tantillus ego ad te nostri seculi & totius Germaniæ decus scribere non uerear. Instabat non semel Mutianus Ruffus præfatum quo tempore Eobanus scripsit, ut & ego quoque meis tibi literis si non te dignis tamen quibus possem innotescerem. Id quamuis ego per me maximo opere tunc, ut semper alias, cupere utpote non mediocri mihi honori futurum, si tanti uiri splendore elucescerem, meam tamen infantiam memor, animum repressi. At postquam omnium quibus uisus & auditus es prædicatione te uirum ut doctissimum ita & humanissimum esse facillimumque audierim, subuerecundum istum timorem, nescio temeritas ne magis, an audacia nincit, & liberiore tandem exitu qui intus feruebat astus erumpit. Salue Salue igitur. Salue inquam, omnium optime & doctissime Capnion, integerrimæ integritatis homo. Immo aduersus tot de terrima monstra ex olida barbariæ palude emergentia inuicissimè Hercules. Iterum salue maxime literatorum Patrone & asietor, dulcissimum Musarum delictum. Utinam scires quo animo hæc scribens affectus fuerim, diceres profecto non alium ullum, quam quod tot feruentissimi sunt, ipso me feruentiorem amicum. Amo te plus quam qui plurimum. Quis talem uirum non amet, colat & ueneretur, nisi qui improbissimus simul & indoctissimus fuerit. Di faciant ut quæ maxima est mihi uisendi tui cupiditas, aliquando satiari possit. Sed despero istam mihi facultatem concedi, ut qui matrimonii capistro charissimæ uxori alligatus, domesticis rebus detineor. Hac tantum uoluptate fruor, quod qui a te huc concedunt amici, multa de te tuarum causa rogati, quæ cupimus respondere, tunc plane totus exulto, nihil æque ac res tuas ex sententia tibi succedere opto. Certa est (licet patrocinate contra pecunia) uerborum tuorum fides. Vincam, & uos triumphabit. Sic manu tua scriptum uidi, non sine magno gaudio, sed maiore oculis uiderem. Quare quod facis immo quod fecisti, Vince, nec longiore nos expectatione suspende. Spero equidem tibi præsto iam aliquem esse Iolaum, qui iandudum incisam excetra: ceruicem insequenti facere repullulet, inurat. Vale. Herphorthiæ, VII. Kal. Februariæ.